

The letters of Sinan Bassa chiefe counsellour to Sultan Murad
 Can the Grand Signior, to the sacred Maiestie of Elizabeth
 Queene of England, shewing that vpon her request, and
 for her sake especially, hee graunted peace vnto the King
 and kingdome of Poland.

GLoriosissima et splendore fulgidissima fœminarum, selectissima Princeps magnanimorum IESVM sectantium, regni incliti Angliae Regina Serenissima Elizabetha, moderatrix rerum et negotiorum omnium plebis et familiæ Nazarenorum sapientissima; Origo splendoris et gloriae dulcissima; nebes pluiarum gratissima, heres et domina beatitudinis et gloriae regni incliti Angliae; ad quam omnes supplices confugiunt, incrementum omnium rerum et actionum Serenitatis vestræ beatissimum, exitusque fœlicissimos à Creatore omnipotente optantes, mutuaque et perpetua familiaritate nostra digna vota et laudes sempiternas offerentes: Significamus Ser. vestrae amicissimè; Quia sunt anni aliquot, à quibus annis potentissima Cæsarea celsitudo bella ineffabilia cum Casul-bas, Principe nempe Persarum gessit; ratione quorum bellorum in partes alias bellum mouere noluit, ob eamque causam in partibus Poloniae latrones quidam Cosaci nuncupati, et alij facinorosi in partibus illis existentes, subditos Cæsaris potentissimi turbare et infestare non desierunt. Nunc autem partibus Persicis compositis et absolutis, in partibus Poloniae et alijs partibus exurgentis facinorosos punire constituens, Beglerbego Græciæ exercitu aliquo adjuncto, et Principi Tartarorum madato Cæsaris misso, anno proximè præterito pars aliqua Regni Poloniae infestata, turbata et deuastata fuit, et Cosaci alijq; facinorosi iuxta merita sua puniti fuerunt. Quo rex Poloniae viso duos legatos ad Cæsaream celsitudinem mittens, quod facinorosos exquirere, et poena perfecta punire, et ab annis multis ad portam Cæsareæ celsitudinis missum munus augere vellet, significauit. Cæsarea autem celsitudo (cui Creator omnipotens tantam suppeditauit potentiam, et quæ omnes supplices exaudire dignata est) supplicatione Regis Poloniae non accepta, iterum in regem Poloniae exercitum suum mittere, et Creatoris omnipotentis auxilio regnum eius subuertere constituerat. Verum Legato Serenitatis vestræ in porta beata et fulgida Cæsareæ celsitudinis residente sese interponente. Et quod Serenitati vestræ ex partibus Poloniae, fruges, puluis, arbores nauium, tormenta, et alia necessaria sup-